DECADES QVINQVE
propositionum Theologicarum

Contra Anabaptistas.

AD QVAS

Σὺν Θεῷ,

PRÆSIDE

Clarissimô, ac Doctissimô Virô

D. IACOBO ARMINIO SS. Theologiæ Doctore, & Professore ordinariô, eiusdemq; Facultatis Decano dignissimô, in almâ Vniversitate Leidensi,

publicè extra ordinem respondebit

IACOBVS LAVRENTIVS Amstelo-Belga.

ad diem 15. *Decemb.* 1607.

Horâ locôq; solitis.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officina Thomæ Basson, 1607.

Reverendo ſeni, Viro prudentiſſimo,

D. PHILIPPO CORNELIO, Eccleſiæ Amſteldamenſis Seniori graviſſimo, Avo meo plurimum colendo.

ET

Viris Doctiſſimis, ac Celeberrimis,

D. IACOBO ARMINIO.

D. FRANCISCO GOMARO.

SS. Theol. Profeſſoribus, & Præceptoribus meis omni obſervantiâ honorandis.

has ſtudij mei Theologici primitias

Ex officiô & animô gratô.

D. D. D.

Reſpondens.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

PROPOSITIO I.

IESVS CHRISTVS Filius Dei, est verus, & integer homo, habens veram & integram humanam naturam, constantem Corpore [a] verô verè humanô, & [b] animâ verâ verè humanâ, creatâ, rationali, cum omnibus proprietatibus, [c] naturalibus, [d] essentialibus, seperabilibus, inseparabilibus.

[a] Matt. 27, 58 Philip. 2. 21.
[b] Esa. 53 11. Matt. 20. 28. Ioan. 10. 15. 17.
[c] Marc. 13. 32 Luc. 2. 52. Ioan. 2. 17. Luc. 2. 40 52.
[d] Ioan. 4. 6. 7. Mat. 4. 2. Luc. 24. 39 Marc. 16. 6.

II.

Illam accepit mediatè, ex [a] Davide, [b] Iudâ, [c] Iacobô, [d] Isaacô, [e] Abrahamô, & cæteris Patribus, [f] vsque ad Adamum; immediatè verò, ex sanguine, & semine virginis Mariæ, Ioseph ô desponsatæ.

[a] 2. Sam. 7. 12 1. Par. 17 11
[b] Hebr. 7. 14.
[c] Gen 28. 14
[d] Gen. 26 4.
[e] Gen. 22. 18
[f] Luc. 3. 43.

III.

Et quidem ex semine illius, per virtutem Sp. S. ([a] qui supervenit, & obumbravit eam) separatô, & fœcundatô, [b] citra viri interventum.

[a] Luc. 1. 35.
[b] Luc. 1. 34.

IV.

Non ex substantiâ Divinâ Patris, neque ex substantiâ aliquâ cælesti; Non ex semine Sp. S.; Non ex rore æterni λόγου: Sic enim immutabilis, impatibilis, immortalis fuisset secundùm Carnem.

[a] Hob. 5. 1. & 8. 3.

V.

Neque ex nihilô, vel ex increatis elementis: Sic enim nullam nobiscum naturalem communionem haberet; & [a] propterea Sacerdos noster esse non posset.

[a] Gen. 3. 15.
[b] Luc. 1 42.
[c] Mat. 8. 20. Marc 8. 31. Luc. 6. 5. Ioan. 3. 13.
[d] mat 16. 16 Marc 1. 1. Luc. 1. 35. Ioan. 1. 50.

VI.

Est itaque [a] verum semen mulieris, [b] fructus ventris Mariæ, [c] Filius hominis secundum Carnem, verè & propriè, non allegoricè, neque spiritualiter; & simul [d] Filius Dei; nec tamen duæ personæ, aut duo Filij, sed unus, & indivisus Christus.

[a] Ioan. 2. 3. Act. 1. 14.
[b] Mat. 1. 16. 20. 1. 6. Gal. 4. 4.
[c] Mat. 1. 18. 20. Luc. 1. 35.
[d] Luc. 1. 31. & 2. 21.

VII.

Est Maria verè, & propriè, & secundum Carnem [a] mater eius, quæ illum intus [b] ex suô ipsius semine [c] per operationem Sp. S. [d] concepit, & aliarum matrum instar intus [e] fovit, [f] aluit, [g] provexit, [h] tempore secundum naturæ statutum completô, [i] peperit.

[e] Luc. 11. 27.
[f] Ibid.
[g] Luc. 2. 40.
[h] Luc. 2. 6.
[i] Luc. 2. 7.

VIII.

Neque tamen inde sequitur, peccatô inquinatum fuisse; quia scilicet pec-

catum non est naturæ humanæ proprietas, sive naturalis, sive essentialis, sive separabilis, sive inseparabilis; sed tantum accidens, præter, imò & contrà naturam, contaminans illam, ac vitians.

IX.

Quanquam [a] in conformitate carnis peccati adparuerit, & [b] per omnia tentatus fuerit in similitudine nostri, tamen id [c] sine peccatô fuit, hoc est, tentationi non præbuit adsensum.

a Rom. 8. 3.
b Heb. 4. 15.
c Ibid.

X.

Illud necesse fuit, [a] ut esset misericors & fidelis pontifex, [b] qui possit affici sensu infirmitatum nostrarum; hoc, [c] ut esset sanctus pontifex, & [d] munda, Deoque grata victima.

a Heb. 2. 17.
b Heb. 4. 15.
c Hebr. 7. 26. 27. & 5. 3
d Hebr. 9. 14

Decas secunda. De Poedobaptismô.

Propositio I.

Baptismus est primum N. T. Sacramentum, ad finem usque mundi duraturum, quô [a] in nomine Patris, Filij, & Sp. S. Fœderati Dei, aquâ tinguntur in obsignationem gratiæ, & obligationem obedientiæ.

a Matt. 28, 19

II.

Competit omnibus fœderatis, non modo adultis, sed etiam Infantibus: [a] Deus enim non modo adultorum, sed & infantium Deus est; [b] Filius Dei, tam horum quam illorum Salvator; [c] Sp. S. utrorumque vivificator.

a Gen. 17. 7.
b Marc. 10. 14
c 1. Cor. 7. 14.

III.

Ideoque, non minus infantes baptizandi sunt in N. T. quam fuerunt circumcidendi in V. T.: in Circumcisionis enim locum successit Baptismus.

IV.

Neque obstat, quod Infantes neque credant, neque resipiscant; sicut neque propterea illis negata fuit Circumcisio, quæ fuit [a] signum justitiæ fidei, & [b] Circumcisionis internæ.

a Rom. 4. 11.
b Col. 2. 11.

V.

Baptismi Efficacia [a] ab [b] Administri dignitate non pendet; ideoque valet etiam [b] ab impiô, modo vocationem habeat, administratus.

a 1. Cor. 1. 13.
b Ioan. 4. 1. 2 cum act. 1. 17. 25.

VI.

Qui potestatem habet in Ecclesia publicè docendi, exhortandi, consolandi, ille & baptizandi habet.

Effica-

VII.

Efficacia Baptiſmi non ad id tantum momentum quô accipitur, neque eantiſper dum baptizatus à peccatis abſtinet, ſed per totam durat vitam.

VIII.

Diſcrimen inter varias Anabaptiſtarum Sectas tantum non eſt, quin, ſi Baptiſmus apud hos adminiſtratus valeat, etiam valeat apud illos collatus.

IX.

Peccant itaque in Baptiſmum ipſum, & in ſuam Societatem Anab., dum baptizatos ab unâ Secta, non recipiunt niſi à ſe rebaptizatos.

X.

Ioannis Baptiſmus, & Chriſti, re & ſubſtantiâ non differunt eouſque, ut Ioannis Baptiſmate tincti, ab Apoſtolis rebaptizandi fuerint.

Decas Tertia. De Magiſtratu.

PROPOSITIO I.

Magiſtratus, eſt poteſtas ſupereminens, [a] à Deô inſtituta, [b] ut homines in cômuni ſocietate tranquillâ & quietâ vitam agant, in omni pietate, & juſtitiâ.

a *Rom.* 13. 2. *Sap.* 6. 4. *Prov.* 8. 15. 16.

II.

Qui hôc funguntur, ſunt cuſtodes [a] utriuſque Tabulæ, præfecti tam bono ſpirituali, quam animali vitæ, curando.

b 1. *Tim.* 2. 2.
a *Levit.* 24. 16. & *Gen.* 9. 6.

III.

Divulſio utriuſque iſtius curæ, & functionis à Malô eſt.

IV.

Functio hæc, neque V. T. neque N. T. propria eſt, ſed utrumque tranſcendit, & ad omnia tempora, & omnes populos pertinet, ſive fœderati Dei ſint, ſive à fœdere Dei defecerint.

V.

Non eſt itaque functio hæc abrogata cum V. T., ſed durat etiam ſub temporibus N. T. & quidem in populô, qui ſecundum vitam ſpiritualem Eccleſia Chriſti eſt.

VI.

Et licet Chriſtiano homini functionem illam bonâ conſcientiâ obire, & mercedem functionis in futurâ vitâ exſpectare, certòque ſibi polliceri, ſi in

vocatione particulari, & hâc ſecundùm Dei & Chriſti Doctrinam ſe geſſerit, quod poteſt per Spiritum Chriſti.

VII.

Poteſt etiam judicia exercere, non modò Civilia, ſed & Criminalia; & delicta punire, non modo pecuniariâ mulctâ, infamiâ, carcere, virgis, ſed etiam [a] morte, & [b] tam pœnitentes quidem, quam impœnitentes.

a Gen. 9. 6. Mat. 5. 21. & 26. 52. Apoc. 13. 10
b Ioſ. 7. 20. 25.

VIII.

Idque non modo adverſus ſubditos in ipsâ Republicâ contrà cives ſuos delinquentes, ſed etiam adverſus extraneos, Rempublicam infeſtantes, quibus, cum aliter iniuriam depellere, & vindicare non poteſt, etiam bellum inferre iure poteſt, [a] quod tamen remedium non niſi ſummâ & extremâ neceſſitate compulſus, uſurpabit.

Luc. 23. 32. 33. 39. 40 41. 42.

a Deut. 20. 10.

IX.

Poteſt etiam Magiſtratus Chriſtianus à ſubditis, [a] tributa, vectigalia, & id genus onera, iure exigere, ad quæ ſolvenda, ſubditi tenétur ex conſcientiâ.

a Mat. 22. 21 Rom. 13. 7.

X.

Neque poſſunt ab iſtô debitô ſe excuſare ſubditi ſub ullô conſcientiæ ſuæ prætextu: quia iſta ſolutio non actio eſt, cuius Ipſi Deo reddêt rationem, ſi malè collocata fuerit pecunia quæ ex iſtâ ſolutione cedit Magiſtratui; ſed paſſio, tolceratio nempe oneris impoſiti.

Decas Quarta. De Iuramento.

PROPOSITIO I.

Iuramentum, eſt invocatio Dei, quâ Is, ut Teſtis, & aſſertor veritatis citatur, & ut vindex invocatur, ſi iurans prudens, ſciens mentiatur.

II.

Iuramentũ non magis ad V.T. ſtatum, populum, tẽpora pertinet quam N.T.

III.

Eſt enim Cultus ad religionem universe pertinens, & medium firmandæ veritati, omnibus ſtatibus, populis, temporibus, æquè conveniens.

IV.

Fieri poteſt, non modo de re præteritâ & præſenti, ſed etiam [a] futurâ: illud in judicijs obtinet; eſtque [b] finis controverſiarum, ubi aliæ probationes deficiunt; hoc verò, in fœderibus, contractibus, pactis; & eſt ſacratiſſimum humanæ ſocietatis firmamentum.

a Gen. 22. 3.
b Heb. 6. 16.

V.

Nec obſtat, quod qui promittit ſe facturum, & iuramentô promiſſum firmat, non ſit omnipotens, adeo ut non poſſit impediri; ſed ſufficit quod promiſſum

missum licitum sit, & iuxta humanæ vitæ cursum secundum Deum præstabile, & ut ille qui promittit, serium habeat propositum idipsum exequendi.

VI.

Neque valet hic discrimen rerum spiritualium & corporalium, quasi de illis solis iuramentum præstari possit, hæ non tanti sint momenti, ut illarum causa iurandum sit, cum sine his spiritualis vita consistere nequeat.

VII.

Asseveratio per veracitatem virilé, **bp mannen waerheyt**/ut loquuntur, pura puta est enunciatio sine ullâ confirmatione: qui enim istis verbis utitur, nihil aliud dicit, quam se pro virô veraci haberi nolle, si mentitus fuerit, quod etiam obtinet citra hanc ipsius concessionem.

VIII.

Quâ de causâ, si perjurium gravius sit peccatum, quam mendacium simplex, pejor est in Repub. conditio jurantium, quàm per istam formulam aliquid affirmantium.

IX.

Quæ imparitas ut aliquô modô ad æqualitatem reducatur, primò iubeatur iuramentum detractans declarare, se ex religionis conscientiâ, quam Deo debet, à juramentô abstinere, quia vetitum a Deo credat; Inde, præmoneatur, periurij pœnam incursurum, si mendacij convictus fuerit.

X.

Nec abs re erit, si Iudex post asseverationem tali modô factam, hæc, aut similia verba, clare, & cum zelô pronuncier; Iehova videat, & requirat, tibique secundum viam tuam rependat.

Decas Quinta. De Divortiô.

PROPOSITIO I.

Matrimonium, est arctissima Maris & Fœminæ unio, quâ [a] qui erant duo, fiunt in carnem unam ex Dei institutô. [a] *Gen.* 2. 24.

II.

Illud est seminarium Reipublicæ & Ecclesiæ; [a] medium propagandi genus humanum, quod in vita animali vivat secundum Deum. [a] *Gen.* 1. 28.

III.

Etiam legitimum est inter eos, qui veri Dei ignari, alijs Dijs serviunt ipsi, & liberos suos ijs offerunt, quanquam in eô non legitime secundum Deum vivant: defectus enim unius finis, licet præcipui, rem non facit illegitimam, aut nullã, sed tantũ vitiosam, cum adest alter, cuius etiam causa instituta est.

Ergo

IV.

Ergo etiam, & multo magis, conjugium est legitimum inter fidelem & in
a 1. Cor. 7. 14 fidelem, [a] nam eo ipso eorum liberi sancti sunt; Neque, qui fidelis fit ex infideli, libertatem sibi acquirit repudiandi conjugem, neque, quæ pars infidelis manet, eo ipso jus in conjugem fidelem factum, amittit.

V.

Cum verò majus sit discrimen, inter fidelem, & infidelem, quam inter di-
a 1. Cor. 7. 12 13. versas in unâ Christianâ Religione Sectas, [a] multò minus licet propter diversitatem istam in Religione Christianâ Divortium facere, si conjunx consentiat ad cohabitandum.

VI.

Et hoc etiam obtinet, cum una pars ab alterius professione deficit, cui & ipsa ante addicta fuit: secus, infinitis divortijs scindetur, & adulterijs commaculabitur orbis Christianus.

VII.

Neque excusantur, qui Vxorem à marito pristinæ suæ Sectæ desertore abducunt, eo quod id se facere dicant, vt Vxorem periculo defectionis eximant, & maritum ad resipiscentiam adigant.

VIII.

Quia improbum est, & inutile, hoc remedium & medium; noxium utriusque conscientiæ, & pudicitiæ, imprimis Vxoris; Quin & perpetuæ quoque zelotypiæ & discordiæ causa, si contingat rursus cohabitare.

IX.

Neque excusatur Maritus ab vxore defertrice pristinæ suæ Sectæ discedens, eo quod illi necessaria ad vitam suppeditat: nam non hanc modò, sed & co-
a 1. Cor. 7. 4. habitationis benevolentiam vxori debet, quæ non in bona modò, [a] sed & in corpus mariti potestatem habet, iuxta matrimonij primævam institutionem.

X.

Hæc res tanti est momenti, & non modò Reipublicæ, sed & Ecclesiæ statum, & tranquillitatem eousque concernens, ut Magistratus huic malo obviam ire negligens, merito cellator in bonâ officij sui parte dici mereatur.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei, & Communicatio Sp. S. sit cum omnibus nobis. Amen. 2. Cor. 13. 13.

FINIS.